

et decem annos post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfluxissent, censorque ante consulatum superiorem fuisset. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse: et tamen sic a patribus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt iis, qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant: ille autem clavum tenens, sedeat in puppi quietus. Non facit ea, quae juvenes: at vero multo majora, et meliora facit. Non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Nisi forte ego vobis, qui et miles, et tribunus, et legatus, et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, cum bella non gero: at senatui, quae sunt gerenda, praescribo, et quomodo. Carthagini, male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuntio: de qua vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias persequare: cujus a morte hic tertius et tricesimus est annus; sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis post meum consulatum, cum consul iterum, me consule, creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suae poeniteret? Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur: sed consilio, ratione, sententia. Quae nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent Senatum. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere, aut audire voletis externa: maximas respublicas ab adolescentibus labefactatas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis.